



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Festo SS. Corporis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

certe odorata. Apoc. Seniores odoramenta offerebant Agno, & ista erant orationes Sanctorum. Nostri orationibus illa quasi constaret, ascendit velut virgula fumi, illas secum defert, ut quæ petimus obtineat, ad hoc Evangelium hodie meminit castelli, quia ut Damasc. orat. de dormit. Virg. B. Virgo est, *Civitas refugii, civitas vivens Regis exercituum.*

In Festo SS. Corporis Christi.

ITA nobiscum hodie agitur, atque si alicui data esset res pulcherrima & optima, quæ satis delectari non posset, eamque per plateas circumferret, ostentaret: ita hodie habendo corpus Christi facimus, & merito. Zach. 9. *Quod enim bonum ejus aut pulchrum est nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Rursum hanc in nobis humiliatio debet oriri, si enim Miphiboseth filius Saulis cum esset jussus affidere mensæ Davidis 2. Reg. 9. *Adorans ait, quis ego sum servus tuus quia respexisti super canem mortuum similem mei?* Quanto magis nos. Quia Ruth. 2. concessit ipsi Ruth Booz colligere spicas in agro suo, non se potuit capere præ lætitia, sed hoc gaudium communicavit focui suæ. Si Rebecca Gen. 24. ostentabat dona oblata sibi à Procuratore Abrahæ, multò magis nos dicere possumus. *Venite, videte, quanta DEUS fecit animæ meæ.* Ponebantur, ut est 1. Reg. 21. semper calidi panes propositionis, nullus caler magis amore DEI quàm iste noster, in quo nobis omnem dat benedictionem, & ut Isaac Jacobum Gen. 21. *Frumento & vino stabilivit nos,* Et ultra hæc quid nobis faciet, cogita homo quid tibi velis plus fieri. Vis cum Angelis eodem cibo vesci. Pl. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.* Vis certus esse de salute æterna. *Pignus futuræ gloriæ datur.* Vis esse affinis Christi? Cyrill. Alex lib. 10. in Joann. 13. *Sicut si quis liquefacta ceræ aliam ceram*

ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est, sic qui carnem & sanguinem Domini recipit cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso & ipse in Christo inveniat. Et ut Cyrill. Jerosol. catech. 4. Concorporei & consanguinei Christi efficitur, Christi-feri, hoc est Christum in corporibus nostris ferentes. Volumus sanitatem? Idem Cyrill. Ibid. Non morsem solum, verum etiam morbos omnes depellit hic panis. Sedat membrorum nostrorum sevientem legem, pietatem coroborat, perturbationes animi extinguit, agrotos curat, ab omni nos erigit casu, &c. Ut in aliis lectionibus Breviarii pro hoc festo. Per carnem nos debellabat dæmon, ut patet in Davide, Samson, &c. Carne nostrâ illam Christus debellavit ut Goliathum David proprio gladio, hunc gladium reposerunt in sanctuario 1. Reg. 21. & hanc victoriosam carnem in sanctuario habemus, ad hunc gladium recurrit David in periculo ut est ibid. nos ad hunc panem. Ps. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me*, hic panis est. *Gladius Gedeonis* Judic. 7.

In Festo S. Basilii Magni.

Satis in laudem hujus sancti dicam, si illum ut appellat totus orbis, Magnum vocabo hic enim titulus non datur nisi valde eminentibus in aliquo. Sic Alexander Magnus, Carolus ob ingentia facta in bellis. Albertus Magnus propter summam Philosophiæ scientiam, sed in explicanda Basilii magnitudine sequar Sanctum ejus Fratrem Greg. Nyssenum, hic neque majora vero audebit dicere, quia dixit coram iis qui Basilium noverant: neque Fratri aliquid de laudibus derogare. Dicit ergo in vita ejus quod fuerit. *Par Moysi, Elie, Joanni Bapt. & Paulo*, & in his fisco.

Par Moysi Basilius quia Moyses ex Ægypto duxit popu-

G 2

popu-